23645/P [P]

TENTAMEN MEDICUM,

DE

CHOLERA SPONTANEA.

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

TUCKER HARRIS,
CAROLINENSIS MERIDIONALIS,

Soc. Med. Edin. Sodal.

Ad diem 12 Junii, hora locoque ſolitis.

——*Haec, ſunt qualiacumque,*
Arridere velim:—— HORAT.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.
M, DCC, LXXI.

For Mr. Aitkin
from his Humble Servt
The Author.

316872

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Praeceptoribus ſuis optimis,

LIONELLO CHALMERS, M. D.

Carolopoli in Carolina Meridionali

Medico ingenioſiſſimo,

Societ. Med. et Philoſ. Philadelph. ſodal:

Itemque

JOANNI GREGORY, M. D.

Uſus et Inſtitutionum

In alma Academia Edinenſi

Profeſſori ornatiſſimo:

TUCKER HARRIS,

S. P. D.

Sinite, Viri egregii, vobis, ut aequum eſt, offerre haſce qualeſcumque, meorum ſtudiorum primitias, uti teſtimonium animi beneficiorum acceptorum gratiſſime memoris. Illi debentur, utpote cujus ſub auſpiciis adoleſcentulus prima artis meae rudimenta hauſerim; huic ob ſtudia mea provectiore aetate juvanda. Grata illorum atque aliorum beneficiorum recordatione motus amicus veſter atque alumnus, ſeri ut in coelum redeatis, diuque laeti familiis veſtris interſitis, et denique ſedem apud ſuperos obtineatis, vehementer exoptat.

VIVITE AC VALETE.

TENTAMEN MEDICUM

DE

CHOLERA SPONTANEA.

PROOEMIUM.

VALETUDINIS proſperae conditione perpetua frui, humanum non eſt. Plurimis enim diverſis, procedente aetate, morbis, plus minus exitu perniciofis, quiſque obnoxius eſt. Quorum perpauci mortem citius afferunt quam *Cholera*; niſi, mature et ſedulo attendentes, vim ejus celeriter leniamus. Nam brevi quidem ſpatio, tales effectus ſequi poſſunt, quales medici ingenium non poterit ſublevare.

MORBUS eſt non tantum periculoſiſſimae naturae, ſed regionibus calidioribus

plerumque endemius. Cives igitur mei, utpote coelo magis auſtrali et calidiore poſiti, acceſſionibus ejus rapidis, effectibuſque mortiferis, neceſſario magis ſunt obnoxii. Æquum igitur eſt, praeter ſtudium morborum in genere, potiſſimum me iis animum adjicere, qui illos ſaepius afflicturi ſunt. Hinc, qui gravibus ejuſmodi morbis impliciti fuerint, iis ſubvenire facilius potero. Quae res, accedente naturali illo amore patriae civiumque, qui ingenio meo inſitus eſt, me, ut ex magna copia, choleram primorum medicinae conaminum argumentum potiſſimum eligerem, impulerunt.

DE DEFINITIONE.

CHOLERÆ, ut generis, definitio haec eſt: "Humoris plerumque bilioſi vomi-"tus, ejuſdem ſimul dejectio frequens; "anxietas, tormina, ſurarum ſpaſmata.*"

Cum

* Culleni Gen. Morb.

Cum autem diſſertatione inſequenti de una tantum hujus morbi ſpecie acturi ſimus, cumque ſpecies a genere ſuo proximo ſit definienda, " humoris bilioſi vomitum, " et ejuſdem dejectiones frequentes, cum " anxietate et torminibus ſponte ſuper- " venientia, vel ſine ullis cauſis occaſi- " onalibus externis *," *choleram ſpontaneam* noſtram conſtituere, maluerim dicere.

HISTORIA MORBI.

Nunc ad hiſtoriam cholerae perventum eſt; et primo, epidemicum aliquando, nunquam vero morbum contagioſum, bilioſos praeterea ſaepius invadere obſervandum eſt.

Etsi

* Per cauſas occaſionales externas intelligo, materias acres ullas in ventriculum aut inteſtina acceptas, velut cibum aut medicamenta quae ſtimulum in hiſce partibus ciere poſſunt.

Etsi aliquando ructus, acres ventriculi et inteſtinorum dolores pungentes, cum cardialgia et anxietate, praecedant; plerumque tamen repente ſubit, nullis praecedentibus cauſis occaſionalibus externis, velut acri cibo, medicamentis, ſive qua re alia quae ventriculum aut inteſtina ſtimulare poſſit. Praeterea, certa quadam anni tempeſtate fere ingruit. Morbum, poſtquam ſemel ingruit, comitantur complura diverſa ſymptomata, quae morbidam canalis alimentarii affectionem indicant. Ægrum enim corripiunt graves vomitus, primo reliquiarum cibi, deinde materiei bilioſae, quos comitantur, aut mox ſequuntur, uberes dejectiones bilioſae, cum torminibus acerbis, ac teneſmo; quae aliquando eo procedunt, ut ſyncopen minentur. Ventriculus quoque ac inteſtina gravi inflatione et dolore premuntur.

Praeterea, alia ſymptomata, qualia cardialgia, nauſea, calor internus, ſitis

tis inexplebilis, faſtidium carnium, et anxietas continua, adſunt.

Praeter indicia affectionis canalis alimentarii ſupra memorata, ſyſtema ſanguiferum quoque afficitur. Pulſus enim celer fit, parvus, et irregularis, atque ſudor gelidus erumpit.

Haec fere facies morbi eſt; aliquando vero ſymptomata magis metuenda aegrum invadunt. Nam, morbo progrediente, extremae partes corporis frigeſcunt; atque ſpaſmata et contractiones eas invadunt. Huc accedit ſumma proſtratio virium, cordis palpitatio, inquietudo, jactatio corporis aſſidua, vigilia perpetua, ſingultus, urinae retentio, animi deliquia, et totius corporis convulſiones, quibus aeger plerumque abſumitur.

SEDES.

Ex ſymptomatibus choleram comitantibus, in promptu eſt ſtatuere, morbum

bum poſitum eſſe in toto volumine canalis alimentarii. Praecipue autem cadaveribus diſſectis comperimus, ventriculum et duodenum potiſſimum affici; nam vulgo gangraena vitiata inveniuntur *. Morbus autem his partibus non proprius eſt. Nam ulterius patet, et partes vicinas, nempe, veſicam fellis et ductus biliarios, afficit; quorum ultimi adeo amplificati ac diſtenti, ut introitum digiti minimi recipiant, cum aliis ſignis magnae bilis redundantiae, reperiuntur †. Bonetus ipſe memoriae prodidit, jecur ipſum etiam ſiccitate quadam affici ‡.

Diſcrimina Cholerae ſpontaneae ab aliis Speciebus.

NOBIS, ut antea diximus, de unaquaque ſpecie cholerae tractare in animo non

* Opera omn. Hoffmanni, tom. 3. § 2. cap. 8.
† Bonet. ſepulchret. tom. 2. lib. 3. § de Cholera.
‡ Idem lib. loco ante citato.

non eſt. Multae enim ſunt ejus diverſae ſpecies. De Cholera ſpontanea Sauvageſii ſolum diſſerere volumus. Sed, cum hujus alteriuſque morbi ſpeciei ſymptomata, quae ex acribus ingeſtis oriuntur, ſint inter ſe admodum ſimilia; cumque eodem tempore methodus curandi paulum diverſa eſſe poſſit; aliquot igitur regulas generales, quibus ea certius diſcerni poſſint, tradere conabimur. Hae regulae ad tres ſequentes redigi poſſunt.

Primo, Cholera ſpontanea ſua ſponte ingruit *, ſine ullis, quoad apparet, cauſis extrinſecus ortis, ſed cauſis intra corpus natis, nempe ſpeciali cuidam ſtatui bilis, omnino debetur: Cum ſpecies aliae cholerae ſemper ab externis cauſis pendeant, viz. ingeſtis acribus cujuſcunque generis intra canalem alimentarium receptis. Hae cauſae, irritatione quam generant, motum adauctum et ſimul inverſum periſtalticum fibrarum muſculari-um

* Sauvag. noſol. meth. vol. 5. p. 127.

um ventriculi et inteſtinorum excitabunt, et inde vomitum et diarrhoeam afferre poſſint. Vomitionis etiam actio ductus biliarios emulget, et ſic, bilis in duodenum introiens, ſpeciem bilioſam ejectis praebebit.

SECUNDO, Cholera ſpontanea potiſſimum morbus eſt regionum calidarum; cum cholera, quae ex ingeſtis acribus provenit, hiſce locis haudquaquam propria ſit, ſed quavis regione ſine diſcrimine exoriri poſſit.

TERTIO, Cholera ſpontanea certo quodam anni tempore fere ſemper apparet; quod, ut ex ſcriptis cel. virorum Sydenhamii, Huxhamii, Vintringhamii, Cleghorniique, liquet, maxime menſibus aeſtatis calidioribus eſt, prout calores citius aut ſerius ingruunt. Si fides Sydenhamio habenda ſit, hic morbus plerumque menſi Auguſto proprius eſt*. Ex iis tamen quae a Cleghornio ſunt obſervata

* Opera omnia, p. 177.

vata patebit, choleram ſpontaneam, caeteris paribus, a menſe Julio ad Septembrem menſem, hoc incluſo, crebrius accidere.

Per has tres regulas generales, vel ſimul vel ſeparatim ſumptas, cum magna, ut mihi videtur, probabilitate diſcerni poterit cholera ſpontanea ab aliis cholerae ſpeciebus, quae ex ingeſtis acribus in ventriculum et inteſtina receptis naſcuntur.

CAUSÆ REMOTÆ.

Agentibus de cholerae cauſis remotis, quaedam obveniunt conſideranda de ſtatu atmoſphaerae. Hunc enim morbum, nobis videtur, a quibuſdam aeris ſtatibus corpus ad choleram praediſponentis, plurimum pendere. Quam rem ita ſe habere hinc clare patebit, ſi reputemus certis quibuſdam tantum anni temporibus morbum valere. De his paulo ante mentionem fecimus, ſed curſim.

ſim. Nunc vero de iis fuſius dicemus.

SYDENHAMIUS contendit, morbum apparere menſe Auguſto ſolum, et raro durare ad primam hebdomadem Septembris *. Medici autem recentiores, et Angliae et aliorum locorum, ſerius aut citius hiſce temporibus, pro calore tempeſtatis, choleram accidere, notaverunt. Vintringhamius, in Commentario Noſologico, ' circa," ait, " initium Julii apparebant diarrhoea, dyſenteria, et morbus " cholera dictus †" Huxhamius etiam eodem menſe, et ſaepe menſe Septembri, morbum vidit ‡. Ex ſcriptis Cleghornii diſcimus, choleram a Julio menſe, ad menſem Septembrem, hoc incluſo, accidere, et nonnunquam maturius, ut, ſi ejus obſervationes morborum Inſulae Minorcae conſulas, videre eſt.

MA-

* Opera omnia, p. 604. † Commentar. noſol. p. 275. ‡ De aere et morbis epidem. tom. 1. et 2. paſſim.

Manifestum itaque eſt, choleram menſibus aeſtatis calidioribus accidere, prout tempeſtas calida maturius ſeriuſve incipit.

Sydenhamius etiam, aeſtatem, pro calore, ad choleram magis violentam reddendam plurimum conferre, notavit *. Ex quibus omnibus liquet, morbum a quodam ſtatu atmoſphaerae plurimum pendere; qui ſtatus in qualitatibus manifeſtis ineſt. Sydenhamius, etſi huic ſententiae non faveat, nempe qualitates atmoſphaerae manifeſtas permultum corpus humanum afficere, et ad morbos praediſponere; tamen confitetur choleram ab iis pendere. "At," enim, inquit, "vero fatendum eſt, morbos eoſdem quoad ſymptomata quaedam aliquando a manifeſta aeris diatheſi pendere; quod et morbilli, et cholera morbus, hoc anno invadentes, teſtatum faciunt †."

Dixi-

* Opera omnia, p. 295.

† Loco antecit.

Diximus, choleram ex qualitatibus aeris manifeſtis pendere, et ex iis calorem praecipue cholerae ſpontaneae cauſam remotam eſſe putamus. Frigus enim, ut nobis videtur, choleram nunquam ciet; quia morbus praecipue eſt temporum et regionum calidiorum; aut, quando in regionibus frigidioribus accidit, menſibus aeſtatis calidioribus ſolum evenit. Frigus igitur nunquam cholerae cauſam remotam poſſe eſſe putamus.

An humor pro cholerae cauſa remota ducendus eſt? Ita a Pringelio haberi videtur: "Cholera enim," inquit, "dyſenteriaque regiones humidiores crebrius urgent *." Niſi autem fallor, humor, prout gradus eſt quo adhibetur, effectus caloris non niſi auget vel minuit. Ita comperimus, ſi humor gradum caloris infra quam ad putrefactionem generandam ſatis eſt non minuat, ſive evaporatione gradum frigoris non augeat, ad augendos

* Diſeaſes of the army, p. 8.

augendos caloris effectus quodammodo conferre *. Denique igitur, humorem tantum vel augere vel minuere effectus caloris exiſtimandum eſt; idque pro gradu quo adhibetur, modoque operandi; haud vero cholerae remotam eſſe cauſam. Per ſe enim ipſe potius pro cauſa occaſionali morbi ducendus eſt, ut poſtea demonſtrare conabimur.

Cum ita, ni fallor, demonſtratum ſit, frigus atque humorem pro remotis cholerae cauſis habenda non eſſe, calorem vero remotam eſſe morbi cauſam ſatis antea oſtenſum ſit; proximum eſt, ut conſideremus quomodo operetur calor in cholera ſpontanea gignenda.

Calorem, magnam illam ac univerſalem in natura cauſam, ac generale agendi per orbem terrarum principium, unde tot bonorum quibus in vita fruimur pendent, pro quibuſdam circumſtantiis, vel remedium utile, vel poten-

tiam

* Cull. praelect. pract.

tiam nocentem poſſe eſſe, bene notum eſt. De omnibus caloris effectibus hic loci differere haud in animo eſt. Si vero quis eos pernoſcere voluerit, diſſertationem inauguralem, nuper in hac academia in lucem editam, conſulat *; in qua ingenioſiſſimus auctor, familiaris meus, fuſe et accurate rem tractavit. Satis igitur in praeſentia erit de effectibus caloris in genere ſolum diſſerere.

Calor et ſolida et fluida corporis humani afficit. Praeterquam enim quod mobilitatem ſyſtematis nervoſi augeat, atque cohaeſionem et contractilitatem fibrae animalis minuat, ſyſtema hydraulicum maxime quoque afficit. Proclivitatem autem ſepticam fluidorum noſtrorum, etſi calor multum juvat, non tamen mihi perſuaſum eſt, eum reapſe ciere putrefactionem humani corporis fluidorum circuëuntium. Cui quoque ſententiae favere videtur Van Swieten, ubi

* Gul. Brown, de viribus atmoſph. ſentienti obviis.

ubi dicit, “ Nihil autem in ſanitate un-
“ quam in corpore perfecte putridum
“ fit; antequam enim eouſque pervene-
“ rit, per excretorias vias de corpore
“ exit *.”

Concedam, fluida corporis humani ſemper ſpectare, et quidem eo putrefactionis proceſſura, unde timendum eſſet periculum, ni alma natura quibuſcunque rebus ei commodiſſime occurreretur, hanc rem ſedulo praecaviſſet. Ita ſtagnationem novimus plurimum ad putrefactionem ſpectare; quare invenimus oeconomiam animalem hanc rem purpetuo fluidorum motu caviſſe. Ita quoque quidam effinguntur exitus ejiciendi cauſa ex corpore ea quae maxime putrida evaſerunt. Praeter has a natura rationes comparatas, putrefactio quo minus longius procedat obviam iri, continuo quod ſumimus alimento, novimus. Ut, quamdiu hae circumſtantiae rite ac regulariter

* Comment. in aph. Boerh. vol. 1. § 80.

lariter procedunt, nulla vera putrefactio in ſyſtemate fluidorum oriatur. Non negabimus tamen, quin proclivitas ſeptica invadat, quae calore vehementer poſſit augeri. Calidis itaque temporibus ac regionibus omnia magis ad putreſcentiam ſpectare exploratum eſt. Et quia fluida minus quam ſolida inter ſe cohaerent, ita haud mirandum eſt, ſi ea inde prima afficiantur, cohaeſioque eorum magis magiſque minuatur, ut tandem omnino ſoluta eſſe videantur.

Quibusdam tamen placuit, calorem, aquoſiores fluidorum partes diſſipando, caeteras ſpiſſatas relinquere *. Haec autem mera conjectura eſſe videtur. Aliter enim, regionum, quibus maxime calidus eſt aër, ac liberrima perſpiratio, incolis ſanguinem denſiorem eſſe haud dubie comperirimus. Reapſe vero contra evenire conſtat; cum iis in locis vera ſit fluidorum tenuitas. Huxhamio etiam,

* Opera Vintringhamii et Huxhamii, paſſim.

am, ſupradictae ſententiae fautori, notatum eſt, magnos diuturnoſque aeſtivos ardores, non ſolum vires fibrarum enervare, ſed ſanguinem quoque nimis extenuare *. Haec igitur ſententia, calorem fluida ſpiſſare, falſa eſſe videtur.

Calor etiam acrimoniam fluidorum vehementer auget, idque forſan, propter proclivitatem ſepticam, quam in iis ſuſcitat. Ex iis quae ab Hillario notata ſunt, patet, acrimoniam fluidorum calore augeri. Sudorem enim comperit, ſanguiniſque ſerum in Inſula *Barbado*, aeſtivo tempore, ſapore fuiſſe ſalſo atque acri †. Ad haec, calore magnopere affici ſyſtema venae portarum, necnon bilis ipſius ſtatum, uti liquet ex multitudine morborum billioſorum qui tempora regioneſque calidas urgent, haud minus manifeſtum eſt. Per haec tempora bilis uberrime ſecerni, ejuſque

 acri-

* De aëre et morb. epidem. tom. 2. p. 250.

† Diſeaſes of Barbadoes, p. 6.

acrimonia augeri videtur; atque inde ſit, ut cholera epidemicus ſit morbus dierum canicularium *.

Ex ſupra dictis liquet, praecipuam cholerae cauſam remotam calorem eſſe, qui eum morbum inde generat, quod vitiatum bilis ſtatum prius intulerat.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Etsi choleram ſpontaneam ſine ullis manifeſtis cauſis occaſionalibus praecedentibus ſupra demonſtratum eſt invadere; hac tamen re nihil aliud ſignificari volumus, niſi invadere morbum ſine externis illis cauſis occaſionalibus, quae vomitum diarrhoeamque, ventriculum inteſtinaque ſtimulando, vulgo cient. Uſus enim docet, etſi bilis calore tempeſtatis ita praediſponitur, ut choleram gignat, eadem tamen conditione adhuc man-

* Cul. praelect. practic.

manſuram, haud prius excitato morbo, quam adhibeantur quaedam cauſae occaſionales, qualia frigus, humorve, cum ſtatim ingruit cholera. Ita, aliquis proſpera utatur valetudine, tempeſtate calida, etiam torrida, donec repentino caſu imbris, ſic ut is madefiat, cholera ſimul invadat. Hic, procul dubio, frigus ſubito adveniens, pro cauſa occaſionali morbi habendum. Itidem Hillario notatum eſt, menſe Julio, anno 1755, crebriores fuiſſe imbres, calidiuſque coelum, quam menſe praecedente; morbos vero, qui per id tempus occurrerunt, abdomen praecipue tentaſſe. "Nunc enim," inquit, "humores majorem in modum ad viſcera abdominis impellebantur; et quidam cholera morbo corripiebantur*". Hic haud dubie excitatus eſt morbus, fluidis a ſuperficie tempeſtate humida impulſis. Modus operandi certiſſime forſan hoc modo explicari poteſt; adhibitum

* Diſeaſes of Barbadoes, p. 77.

bitum ſuperficiei frigus, dum perſpiratio forte liberrime procedebat, extrema ibi vaſa conſtringere, quo facto, fluida introrſus niti, nempe, ad ſyſtema venae portarum. Hinc ſanguis in iis locis congeritur, ſecretionem augens bilis, quae, per primas vias abiens, vomitum et diarrhoeam vel choleram movet.

Iis quae a Pringelio de cholera ſunt dicta ſententia noſtra confirmari videtur. Ab eo enim diſcimus, ſubitam perſpirationis obſtructionem, ubi fibras relaxatas ſtatumque ſanguinis putreſcentem invaſit, febrem remittentem, ſeu intermittentem, ſeu choleram, ſeu dyſenteriam, plerumque afferre *. Hinc ſuperficiei conſtrictione, quacunque re, ſed ante omnia frigore aut humore, illata, corpore ad id praediſpoſito, choleram extemplo ſecuturam, collegerimus. Quare vero haec res in altero caſu febrem, in altero choleram cieat, vix auſim ſtatuere,

* Diſeaſes of the army, p. 10.

ere. Annon in priore caſu neceſſe ſit debilitatem quandam vis nerveae praeceſſiſſe ad febrem ciendam, aut in poſteriore, cholera ab hujus debilitatis defectu pendeat, aeque incertus ſum.

CAUSA PROXIMA.

Causas cholerae remotas et occaſionales exponere conati, jam de proxima agemus.

Tradit Bonetus, pendere choleram a quantitate bilis intra ventriculum nata, quibuſdam viſum eſſe. Quae res ipſa commemoratione abſurda eſſe oſtendi- tur. Nemo enim ventriculum poſſe bilem gignere affirmabit, cui veniat in mentem, inter omnes conſtare fluidum iſtud ab hepate ſecerni. Sententia igitur ſupra dicta rejicienda, ut veriorem amplectamur, viz. proficiſci choleram a copioſa bilis in canalem inteſtinalem excretione.

Hinc

Hinc ſponte profluunt duae hae quaeſtiones: 1*mo*, Num bilis hoc tempore majore copia ſecernatur? 2*do*, Num majore acrimonia jam imbuatur? Utrumque forſan conjungitur, atque ad morbum afferendum confert.

Quod ad primam attinet quaeſtionem, Num bilis majore copia ſecernatur? Si prohibetur quo minus in inteſtina tranſeat, uti in ictero fit, alvi aſtrictionem naſcituram comperimus; ſaepeque, ubi primum cauſa obſtruens remota eſt, biliſque in inteſtina tranſeat licuit, diarrhoeam invadere. Hincque, ſi augeatur excretio bilis, nonne licet colligere orituram eſſe diarrhoeam? Bilis vero, ſi nihil obſtat, in inteſtina ſemper tranſit; phaenomena autem, ſeu ſymptomata cholerae, niſi obſtruatur perſpiratio frigore aliave re ſuperficiem corporis conſtringente, haud valet. Hoc, ut ſupra dictum eſt, ſanguinem ad hepar impellet, auctamque ſecretionem bilis afferet, quae ſolito copioſior in primas vias influens,

choleram

choleram poſſit ciere. Hinc bilem majore copia hoc morbo ſecerni colligimus.

An vero augeatur bilis acrimonia, haud pro certo affirmare auſim. Ex ſpaſmatibus tamen, convulſionibuſque, aliiſque per varias ſyſtematis partes, praecipue vero in canali alimentario ſymptomatibus gravibus, fere certiſſime poteſt colligi, augeri quoque acrimoniam. Praeterea, ex analogia conſtat, acrem effici poſſe bilem, mutato curſu fluidorum. Suppetunt enim exempla, mutatum fluidorum curſum non ſolum ſecretionem, ſed acrimoniam etiam auctam, attuliſſe. Ita in catarrho et coryza, adhibito corporis ſuperficiei frigore, mucum naturalem lubricandae tuendaeque membranae *ſchneiderianae* natum, cum majore copia, tum aucta acrimonia, ſecerni comperimus. Hinc in cholera, bilem majore cum copia tum acrimonia aucta ſecerni, collegerimus. Hoc praecipue confirmari videtur, ſi reſpiciatur antecedens illa

la totius maſſae fluidorum acrimonia, quae calidis temporibus obtinet. Dum autem ſalinus hic acriſque ſanguinis ſtatus manet, nonne facile conceptu eſt, ſi qua cauſa eo tempore ad ſyſtema venae portarum fluida impellantur, acerrimam ſimulque auctam bilis ſecretionem naſci poſſe? An vero res ita ſe habeat necne, parum ad curationem morbi attinet. Concedendum tamen eſt, aliquem adeſſe bilis ſtatum vel conditionem peculiarem quae choleram gignat; et ex ſymptomatibus effectibuſque natis, auctam eſſe bilis cum acrimoniam tum ſecretionem, colligo. Proximam igitur cholerae cauſam, quantitatem eſſe bilis acris in inteſtina copioſe infuſam, dico; cujus ea vis eſt, ut omnia morbi ſymptomata, vomitum, ſcilicet, diarrhoeamque, &c. gignat. Stimulo enim inteſtinis inde adhibito, adauctus motus fibrarum muſcularium periſtalticus, et in quibuſdam locis motus a periſtalticus, naſcitur. Qua ex cauſa, bilis, quae jam in duodenum co-

pioſe

pioſe infunditur, inde in ventriculum tranſit, atque ita cum aliis materiis per os ejicitur, dum ſimul ejuſmodi dejectiones fiunt.

RATIO SYMPTOMATUM.

Pauca jam cholerae ſymptomata praecipua explicare aggrediamur, qualia vomitus bilioſus et diarrhoea, ſitis, anxietas, nauſea, cardialgia, et teneſmus.

Vomitus bilioſus et diarrhoea. Debetur vomitus inverſo fibrarum ventriculi muſcularium motui periſtaltico, propter ſtimulum hiſce partibus ex acrimonia bilis adhibitum nato. Eodem tempore naturalis inteſtinorum motus periſtalticus, ob eandem cauſam, acceleratur, eorumque quae in iis continentur celeriorem gignit evacuationem, indeque diarrhoeam. Bilis in inteſtina jam majore copia infuſa, et iis quae in ventriculo et inteſtinis continentur immiſta, materiis per vomitum

diarrhoeamque ejectis faciem bilioſam indit.

Sitis. Hoc ſymptoma morbos bilioſos in primis comitari compertum eſt; et, in cholera, bili quae in ventriculo eſt forſan poteſt tribui. Aut, ſecundum Gaubium, poſtquam aliquamdiu manſit morbus, ex diſſipatione fluidorum oriri poteſt.

Anxietas. Vomitum cujuſque generis ſatis conſtat ſummam fere antecedere anxietatem. Ideoque hoc ſymptoma perpetuo vomendi ſtudio, quod in hoc morbo locum habet, tribui poteſt: Aut ſanguini forſan in ſyſtemate venae portarum congeſto, quam rem afferre anxietatem, tradit noſter Praeceptor Gregorius, deberi poteſt.

Nauſea. Hoc ſymptoma ab iiſdem quae vomitum movent cauſis, minore vero gradu occurrentibus, proficiſcitur.

Cardialgia. Materia acris cujuſvis generis, ſi ventriculum inſedit, cardialgiam

am afferet; et in cholera tribuendam bili, quae in ventriculo eſt, acri.

Teneſmus. Hoc ſymptoma gignit ſtimulus a bili inteſtinis adhibitus, contractionem eorum ſpaſmodicam, cum inteſtino recto praecipue communicatam, deinde teneſmum efficiens. Spaſmo inteſtinorum deberi, ex momento quod antiſpaſmodica, velut opium, clyſtereſque, ad id levandum habent, videtur.

Exspectabitur forte naturam me cauſaſque ſymptomatum ſpaſmodicorum et convulſivorum, quae in cholera valent, explicare conaturum fuiſſe. De iis autem differere haud lubet; propterea quod ea res theoriam motus muſcularis complecteretur; id quod haud quidem ſatis intelligo. Hoc igitur alii, magis ad id idoneo, ſtatuendum relinquam; dum ego felicioris ejus ingenii conſcius, idque procul ſuppliciter admirans, verbis Anglici noſtri poetae Drydeni exclamo:

Happy the Man, who, ſtudying nature's laws,
Thro' known effects can trace the ſecret cauſe!

PROG-

PROGNOSIS.

Inter omnes conſtat medicos, choleram, ſi negligitur, ſaepe lethalem eſſe. Sed opportune attendendo, et proprie adminiſtrando, ſaepiſſime morbum feliciter emovere poſſumus. Si fides Hoffmanno habenda eſt, aetate vel morbis diuturnis confectis, et infantibus, imprimis eſt periculoſa; et plerumque lethalis evadit die tertio, quarto, vel aliquando, ſed rarius, ſeptimo; nec unquam diutius manet, niſi in quem alium morbum deſinat. Apud Bontium vero legimus, plerumque abſumere aegrum ſpatio viginti quatuor horarum, immo, aliquando breviore tempore.

Signa ad ſalutem. Hoffmannus docet, ſi vomitus deſinat, et ſi ſequatur quies ac ſomnus, aut ſi morbus ultra diem ſeptimum ducatur, haec proſpera eſſe ſigna. Secundum Bontium vero, ſi aeger ultra viginti quatuor horas ſuperſit, in

magnam

magnam ſpem ſalutis ejus venire licebit.

Signa ad mortem. Notat Hoffmannus, prout gravitas caloris ac ſitis ſe habet, ita morbi periculum; et, ſi excretionibus compreſſis ſymptomata alia manſerint, nullum bonum exſpectandum. Excretiones atrae bilis, parum urinae, haeſitantia linguae, et pulſus parvus et frequens, mortem indicant *; ſic, etiam ſecundum Hoffmannum, ſyncope, convulſiones, ſingultus, et extremorum frigus. Sin autem perpetuae vigiliae, jactatio corporis inquieta et aſſidua invadat, comitantibus ſimul frigidis foetidiſque ſudoribus, mors procul dubio inſtat †.

METHODUS MEDENDI.

NUNC ad curationem cholerae perventum

* Arctaeus Cappadox de cauſ. et ſign. acut. morb.

† Bontius de medicina Indor. cap. 6. de Cholera.

tum eſt: Et haec tria ſequentia medendi conſilia ſeſe offerunt.

I. Bilem acrem in inteſtina infuſam evacuare, effectibuſque ejus occurrere, ita tamen ut eae partes quam minime ſtimulentur.

II. Irritationem canali alimentario auferre.

III. Symptomatibus ſpecialibus occurrere, aut vim eorum lenire.

Primo, Bilem acrem in inteſtina infuſam evacuare, effectibuſque ejus occurrere, ita tamen ut eae partes quam minime ſtimulentur. Hoc conſilium in partes duas diviſum eſt. 1*mo*, Bilem acrem evacuare; 2*do*, Ejus effectibus occurrere.

Quod ad priorem hujuſce conſilii partem attinet, nempe, ad bilem acrem evacuandam, complura remedia ſeſe offerunt, qualia, emetica, cathartica, et diluentia.

Eme-

Emetica purgant ventriculum ſordibus quas continet, ſimulque emulgent ductus biliarios et pancreaticos, et vaſa excretoria ventriculi inteſtinorumque. Ad ſuperficiem corporis fluida quoque eliciunt, liberioremque ibi ſanguinis circuitionem per vaſa minima adjuvant. Cum vero ventriculum ſtimulando afficiant, emetica igitur in cholera ſunt impropria. Quia bilis, cum propter quantitatem, tum qualitatem, nimius eſt per ſe ſtimulus ventriculo, ita ut uſu emeticorum hic ſtimulus ſit potius augendus. Mihi igitur in cholera impropria eſſe videntur, praeſertim cum mitius adſit remedium ex uſu liquorum diluentium largius adhibitorum; de quibus poſtea rurſus dicendi erit locus.

Cathartica bilem acrem ex inteſtinis evacuant; ſed ab omnibus improbantur, idque meritiſſimo. In genere enim laxantia, vel leniſſima, operatione ſua inteſtina quodammodo ſtimulant. Cathartica igitur in cholera alieniſſima ſunt.

Supra

Supra enim oſtenſum eſt, ex acrimonia bilis augeri canalis alimentarii irritationem, quam cathartica cujuſvis generis amplius etiam augerent. Ad haec, nil opus eſt uſu eorum ad ea quae in inteſtinis continentur evacuanda; acrimonia enim bilis tanta eſt ut, idoneae dilutionis auxilio, ipſa ſe evacuare poſſit. A Sydenhamio ſemper compertum eſt, cathartica vel leniſſima nocere. Ratiocinatione igitur, aeque ac hujus cel. medici conſuetudine, adducti, uſum purgantium, vel leniſſimorum, in curatione cholerae reſpuimus. Ad ea igitur remedia confugiendum, quae, quam minime canali alimentario ſtimulato, ad hanc rem conveniant. Huc ſpectat

Diluentium uſus, quae largius atque copioſius dari debent. In his adhibendis fluida idonea ſunt eligenda; ea nempe quae mitiſſima et mucilaginoſa ſunt, iis diligenter vitatis, quibus fermentatio in ventriculo vel inteſtinis excitari conſuevit. Hinc aquam tepidam vel pul-

mentum

mentum, vel juſcula ex tenero pullo in aqua decocto facta, ita, ut liquor vix ullum carnis ſaporem retineat, antepoſuerimus. Hae potiones, modo nec circumſtantiae nec vis morbi vetent, largis copioſiſque hauſtibus adhibendae, donec revomantur; et tunc crebro reiterandae, donec parva ſaporis immutatione, bilem acrem magna ex parte evacuatam comperiamus. Natura etiam ipſa utilitatem, immo neceſſitatem, copioſae dilutionis, acri quae in morbo valet ſiti, indicare videtur. Hoc pacto bilem acrem ex ventriculo evacuamus. Praeterea, effectibus ejus diluendo diffundendoque, occurrimus; eodemque tempore varias excretiones adjuvamus. Liquoribus enim diluentibus a vaſis lacteis partim abſorptis, atque in maſſam ſanguinis tranſlatis, atque ita vaſa ſanguinea implentibus, circuitio ſanguinis ad extremos eorum ramulos propellitur, ſpaſmumque, qui in ſuperficie corporis, ineunte, ac veroſimillime vigente morbo, valuit, ſi ex frigore poſtea ingruente judicare licet, aufertur.

 COM-

Compluries ſcriptores uſum frigidarum potionum in cholera commendarunt. Aretaeus Cappadox et Hoffmannus earum uſum ſuadent. Medici Hiſpanici quoque uſum potionum earum laudant; qui, inquit Cleghornius, ſaepe mihi confirmaverunt nihil ſe, in graviſſimis acerrimiſque choleris, aquae frigidae potatione utilius comperiſſe. Satis quidem conſtat, potiones frigidas, morbis autumnalibus, quique temporibus regionibuſque calidis occurrunt, ubi ulla proclivitas ſeptica valet, fere ſemper eſſe tutas. Utrum vero omnino ſint tutae in cholera pro certo ſtatuere non auſim. In medio igitur relinquemus.

Enemata ad bilem acrem diluendam, ac ex inteſtinis evacuandam, ſunt accommodata. Emollientia eſſe oportet, qualia aqua calida, juſcula, fluidaque mucilaginoſa, nempe, infuſum lini, vel decoctum altheae. Sydenhamius aquam pullinam more clyſterum injiciendam cenſet.

cenſet. Hi clyſteres, ſecunda vel tertia quaque hora, injici debent; ac, tametſi raro diu retineantur, ſemper tamen aliquid proſunt. Inteſtina fovent, bilem in iis acrem diluunt evacuantque, et, id quod plurimum prodeſt, irritatione ſpaſmoque minuendis, multum ad teneſmum levandum conferunt, qui inter acerrima graviſſimaque morbi ſymptomata habetur. Praeter haec commoda ex eorum uſu profluentia, vires aegri juſculis nutrientibus in clyſteribus injectis alere ſtudendum. Parum vero commodi inde profluere exſpectandum, quia admodum diu non retinentur; aliquid tamen utilitatis etiam in hac parte ab iis proficiſci poſſit.

Haec remedia ſunt quibus bilem acrem in inteſtina infuſam evacuamus, et quae ad priorem primi conſilii partem accommodata ſunt. Ad ſecundam partem ejuſdem conſilii, nempe, ad effectibus acris bilis occurrendum, proxime progrederemur; ſed remedia, quae antea memoravi, ad hanc etiam partem conſilii accommodata

modata ſunt; eaque igitur praetermittam, ad ſecundum medendi conſilium proceſſurus, nempe,

Ad irritationem canali alimentario auferendam. In hoc morbo evacuationes ſurſum deorſumque comitantur violentes canalis alimentarii motus convulſivi, propter irritationem in his partibus, etiam cholera quodammodo ſedata, reſiduam. Hi motus convulſivi cum variis partibus communicari, ac tandem toto ſyſtemate valere, poſſunt, ſpaſmis per extrema, ac totius corporis convulſionibus inde natis. Inde ſecundi conſilii utilitas apparet, nempe, irritationem illam auferre, ex qua ſymptomata haec foeda pendent.

Inter omnia remedia ad hanc rem comparata, opium procul dubio primas tenet; deque eo merito dici poteſt, quod alias canit poeta,

——— quo non praeſentius ullum
Auxilium venit.

Prius vero, quam id adhibeatur, evacuanda

cuanda eſt magna ex parte bilis acris ex ventriculo atque inteſtinis, iis rationibus quas ſub conſilio primo monſtravimus. Si vero aegri vires, vomitus et diarrhoeae diuturnitate, deficere coeperint, ſi extrema frixerint, ſi convulſiones et ſyncope ingruerint, tunc, bilis acris evacuatione omiſſa, ad opium ſtatim, tanquam ſalutem ſupremam, initio etiam morbi, confugiendum eſt. Hinc enim aegri ſalus omnino pendet. Non eſt quod de opio adhibendo nimium caveamus; quod enim evacuationes obſtruere dicatur, ejuſmodi effectus non niſi temporarius eſt. Opium daturis miſcendus ei eſt idoneus aliquis liquor, ſed perparce; aliter enim, cum ventriculus jam ſit admodum irritabilis, revomi poteſt. Aut, ſi opium ita revomatur, ſub forma ſolida dari licet, nempe in pilulam confectum, quo modo forſan melius ventriculo conveniet. Vel denique per anum injici poteſt; idque aeque feliciter, ac ſi per os daretur, ſtatimque ad inteſtina applicatum, multum,

haud

haud dubie, proderit ad irritationem inde auferendam. Quae res confirmari videtur ſequenti Praeceptoris noſtri Monroii experimento. Muſculo ranae nudato, opium aqua ſolutum applicuit; pars cito paralytica facta eſt; poſtea tamen motum ſuum recepit. Unde apparet muſculi ſenſibilitatem imminutam: Et nonne ex analogia ſequitur, ut, opio in inteſtina injecto per clyſteres, eorum ſenſibilitas, irritatioque, ob eam rem, minuatur? Hic monere oportet, opium, quoties injicitur per clyſteres, largius eſſe dandum; exempli gratia, tria quatuorve grana, in aliquo fluido emolliente ſolvi, aut quinquaginta ſexagintave guttae laudani liquidi loco prioris adhiberi, ac pro clyſtere injici poſſunt.

In cholera, opium largius ſumendum; cujus rei utilitas confirmatur a Sydenhamio, qui copioſe dare conſuevit. Aegro, dum opium ſumit, quam poterit quietiſſime jacendum; qua re facilius id retinebitur. Haec porro cautio et ob aliam rem

rem uſui eſt: Sydenhamius enim quendam comperit, in quo convulſiones vel minimo corporis motu redibant. Uſum opii continuandum cenſet, non ſolum dum manent ſymptomata, ſed etiam poſtquam abiit morbus, quotidie mane ac veſpere, uſque quo aeger priſtinam ſanitatem vireſque receperit.

In iis quae ſub duobus ſuperioribus conſiliis monſtrata ſunt remediis recte adhibitis, curatio cholerae praecipue conſiſtit. Cum autem ſpecialia quaedam morbi progreſſu occurrant ſymptomata, de quibus ſub conſiliis prioribus commode agi non potuit, ea in conſilium poſtremum rejicienda cenſuimus; nempe,

Symptomatibus quibuſdam ſpecialibus occurrere, aut vim eorum lenire.

Post exhauſtam ex primis viis bilem acrem, proxime enitendum, ut ſiſtatur, qui reſtare poteſt, *vomitus*, uſu ſcilicet miſturae ſalinae, quae, modo effervеſcens ſumatur, efficax eſſe remedium adverſus vomitum perhibetur. Simul cum miſtura

ra ſalina opium dari poſſit, et per intervalla iterari, donec voti compotes fuerimus. Haec vero, ſi ſpem fallerent, Hillarius regioni ſtomachi fotum ex foliis menthae, theriaca andromachi, et rubri portione vini, applicare ſolebat, qui, ut ait ipſe, ſimul cum uſu julapii ſalini, vomitum ſiſtere nunquam defecit. Fotum ſpirituoſum ex ſp. vini rect. et ſp. ſal. aromatic. et laud. liquid. compoſitum, ad vomitiones obſtinatas ſiſtendas plurimum prodeſſe, ſaepiſſime vidi. Douglaſſius decoctum panis avenacei, abſque fermento piſti, et donec fuſcus evadit toſti, non uſti, ut ad vomitiones ſiſtendas efficaciſſimum, ſuadet *. Opium ad ſiſtendam vomitionem, eodemque tempore etiam *diarrhoeam* ſedandam, conferet, et medicamentis, quae adſtringunt, antiponendum eſt, quae Sydenhamius nocere comperit.

Olim emollientium clyſterum in leniendo teneſmo uſum memoravi; praeter quos,

* Edinburgh Med. Eſſays, vol. 6. p. 647.

quos, balnei uſus calidi plurimum prodeſt; vis cujus ad morbos ſpaſmodicos ſedandos permultum laudatur in utiliſſima illa diſſertatione de Tetano et Opiſthotono, in lucem edita *, a Medico Chalmero Carolinae Meridionalis, viro omnibus amabili, at nulli quam mihi amabiliori. Ad affectiones ſublevandas ſpaſmodicas, Lindus, pedeluvio applicato, veſicatoria ſuris adhibere ſolebat. Poſt bilioſi humoris evacuationem, Celſus vini uſum commendat, quod cardiacum eximium eſt, eodemque tempore ad vires reficiendas prodeſt. Vinum magis etiam cardiacum effici poteſt, ſi in eo macerentur aromatica quaedam, velut cinnamomum, caryophylla, et ſimilia. Cleghornius notat, ſymptomata febrilia vel fixos abdominis laterumve dolores, poſtquam evacuationes deſierint, crebro invadere. In ejuſmodi caſibus, ſanguinem emittendum, et alvum ſolvendam, cenſet.

Cum corpus generatim, et ventriculus ſpeciatim, ab hoc morbo plerumque valde

* Lond. Med. Eſſays, vol. 1.

debilitata relicta ſint, remediorum uſu tonicorum hanc atoniam removere neceſſarium erit. Horum optimum cortex Peruvianus eſt; cujus, ut tonici, effectus adeo bene noti ſunt, ut de eo plura dicere nil opus ſit. Simul cum hoc, exercitatio lenis adhiberi poſſit, vitato tamen repentino calore atque frigore.

Hac diſſertatione ad finem jam perducta, reſtat ſolum, ut multa vera beneficia, quae, ut ſpero, ex utiliſſimis illis ac ſaluberrimis doctrinis a Praeceptoribus meis traditis hauſi, ita publice agnoſcam. Diu vivant, unde tot precioſiſſima profluunt commoda, et ut arti ſuae decori, et huic academiae honori, eſſe poſſint. Dum ego, eorum jam alumnus, mox lato Oceano Atlantico ab iis ſeparandus, me, non ſolum quamdiu hic loci fuero, ſed poſtquam natale ſolum repetivero, ſumma ſemper atque gratiſſima reverentia, eorum memoriam proſecuturum promitto,

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos regit artus.

F I N I S.